DISPVTATIO IVRIS GENTIVM PVBLICI

DE

IVRE IMPERANTIVM IN IVS QVAESITVM SVBDITORVM,

QVAM

PERMITTENTE INCLYTO ORDINE ICTORVM

PRAESIDE

D. CHRIST. LUD. STIGLIZ,

die XXVII. Apr. A. M DCC XIII.

H. L. C.

PVBLICE DEFENDET

A. R.

IOH. FRIDERICVS FALCNER,

LIPSIENSIS.

LIPSIAE,

REC. LITERIS STOPFFELII. 1748.

SUMMARIA.

1. *De Jure Imperantium agere necessarium, utile, & ob varias sententias difficile.*
2. *Notatur sententiarum quarundam iniquitas.*
3. *Proponitur thema disputationis.*

I. *Datum est homini jus in terram, res suas & actiones.*
II. *Dicitur illud jus homini quæsitum.*
III. *De quo ipse tantum disponit & quod cuique tribuendum est.*
IV.V. *Hoc ut obtineat summa potestas a Deo inter homines constituta est.*
VI. *Illa non consistit in mera & nuda facultate, sed officium & obligationis vinculum continet.*
VII. *Ex hac ipsa descendit jus imperantium in jus quæsitum subditorum.*
IIX. *Quia est Dei vicaria potestas.*
IX. *Quæ inter hanc & Dei potestatem intercedat differentia?*
X. *De quibus principes disponere possint? ubi notatur distinctio inter jus N. & Posit. ut hoc loco nimis generalis.*
XI. *Posita jure ponuntur etiam media necessaria.*
XII. *Quid per medium unicum & per necessitatem intelligatur?*
XIII. *Sola necessitae non facit jus, ubi & de collisione jurium.*
XIV. *Quæ hic non occurrit, sed proprius consensus civium adest.*

XV. *Jus tamen Imperantium, de quo quæritur, non est ex præsumta voluntate, sed ex interna ratione soc. civ. & S. pot.*

XVI. *Resp. ad obj. duram esse hanc L. Nat. ubi etiam de reparatione damni & quibus casibus illa cesset.*

XVII. *Salus publica præferenda est privatorum utilitati.*

XIIX. *Quo sensu admitti possit Symbolum Cæsaris?*

XIX. *An detur dominium eminens, ex quo Jus hactenus demonstratum deducendum? Neg.*

XX. XXI. XXII. *Resp. ad object.*

XXIII. *Rectius imperium & dominium distinguuntur. Respondetur Conringio.*

XXIV. *An detur Plenitudo potestatis s. absoluta? & Neg.*

XXV. XXVI. *Resp. ad object.*

XXVII. XXIIX. *Quis judicet an sit ex re Reipl. de juribus Imperantium disponere?*

XXIX. *Resolv. obj. quod hoc ipso princeps pro lubitu disponere possit, ac si dominium aliquod eminens haberet.*

XXX. *Cur regulæ certæ & universales formari non possint, quibus dijudicetur, an sit ex re reipubl.*

XXXI. *Usque ad finem. Varia exempla ex Jure Civ. & Gent. recensentur, quibus diversæ rationes apparent, ob quas imperantes in salutem reipub. hoc jus exercuerint, vel exercere possint.*

B. C. D.

I.

DE juribus Imperantium agere res eſt, quæ tanta difficultate laborat, quanta ſeſe commendat utilitate pariter atque neceſſitate: *neque minus lubricum eſt, ſcribere de regum poteſtate, de imperio &c.* Grammondus *Hiſtor. Gall. l. 1.* Sive enim materiæ dignitatem gravitatemque ſpectemus, ea eſt, quæ non unius tantum alteriusve privati jus, ſed civitatum, populorum, imo univerſi generis humani ſalutem complectitur: Sive varia variorum ſcripta evolvamus, ubique non niſi diſſenſus perpetuus invenietur. Sunt enim qui vel adulationis vitio occæcati tanquam veriſſimi dominationis magiſtri ſecundum Tacitum *Hiſt. Lib. II. 63.* neſcio quam plenitudinem poteſtatis, abſolutam po-

teſtatem &c. Imperantibus tribuunt; Petr. Anton. de Petra *de Jure quæſ. per princ. non toll. c. II.* 23. & quoniam ſumma fortuna id æquius reputant quod validius Tac. *Ann.15.* illud Juliæ dictum *Licet ſi libet*, pro ſumma veritate in curiis principum venditant: Vel qui falſiſſimo imaginariæ libertatis præjudicio abrepti non niſi nudam imperii adminiſtrationem, inſtar officii & muneris a populo conceſſi principibus tanquam miniſtris concedunt, quaſi nihil ſua poteſtate, nihil ſuo jure facerent, vide Ziglerum, *de J. Maj. L. I. c. 1. §. 34.* ut taceam eos, qui hac in re fluctuant, nihilque certi definire poſſunt, ſed cuncta miſcent, quorum ingens copia.

2. At ſicuti prior ratio, ſcil. rei gravitas, majorem cautionem atque diligentiam poſtulat; ita recenſitas opiniones merito rejicimus: Impium enim eſt quamvis ſummorum licentiam pro facultate legitima habere, cum ſecundum notiſſimum, *remota juſtitia regna non ſint niſi magna latrocinia* Auguſt. *de Civ. Dei L. 4. c. 4.* neque minus ab omni veritate alienum, imo ridiculum eſt, manus imperantium, quibus ſumma Reipubl. tradita eſt, adeo ligare, ut penitus inhabiles reddantur ad juſtitiæ adminiſtrationem, atque defen-

fenſionem Reipl. Zigl. *c. l.* §. *35*. Illi autem, quos fluctuare diximus, nihil concludunt, dum ſibi ipſis haud conſtant.

3. Certum potius jus uti omnibus hominibus ita & imperantibus a Natura conſtitutum eſt, cujus indubitati limites ex genuinis Juris Nat. rationibus demonſtrari poſſunt, quo neque tyrannicum aliquod, vel tale introducatur regimen, quod penitus tyrannidi viam aperit, neque Imperantium autoritas atque poteſtas negligatur, & nudi tantum officiales ſummæ poteſtatis conſtituantur. Hujus poteſtatis rationem, quatenus jus tribuit Imperantibus in jus quæſitum ſubditorum, ejusque fundamenta & prima principia, in præſenti diſſertatione breviter examinabimus, ita tamen, vt facili ratione reliqua inde deduci poſſint.

§ I.

HOminis cauſa terram & res terræ factas eſſe atque creatas conſtat. conf. Cic. *de nat. Deor. L. 2. c. 53. & 62. ad finem usque.* Datum inde porro eſt jus homini in bona ſua & actiones ſuas, quamcunque rem attingat, ſive corpus, vitam, & famam, ſive bona & reliqua jura, tam in ſocietate domeſtica, quam civili & publica: Nam fruſtra homini data non eſt propria

pria; facultas applicandi res terræ ad usum suum, & in genere agendi sed efficax, & quæ in actum deduci & exerceri possit.

§. II.

Id ipsum jus, quod cuique pro varia ratione vel originariæ concessionis & acquisitionis competit, vel per derivationem ab uno in alium, seu dispositionem inter homines constitutum est, hominis est, suum dicitur & proprium: alias etiam quæsitum i. e. acquisitum, æque ut in jure Civ. quæsita hereditas dicitur, quæ jure acquisita est & ad aliquem pertinet *l. 9. C. de petit. her. l. 14. C. test. mil. l. 14. C. fideicom.*

§. III.

Dum autem dicitur homini jus quæsitum, necessario sequitur, quod ipse quoque sit ejus moderator & arbiter *l. 21. C. mand. l. 25. §. 11. ff. her. pet.* Neque alius in illud jus aliquod habet, deficiente omni omnino translatione aut dispositione, cum id quod nostrum est, sine facto nostro ad alium transferri non possit *l. 11. R. J.* sed salvum cuique esse debeat, æterna quippe justitiæ ratio exigit, ut suum cuique tribuatur, jung. Mevii *Nucl. J. N. & G. Insp. 8. §. 2. 11.*

§. IV.

Verum ut illa justitiæ ratio obtineat, & ne per ejus negligentiam securitas, pax, & tranquillitas humani generis turbetur, potestas a summo rerum autore constituta

ſtituta eſt, & introducta, quæ a ſummis Imperantibus tanquam Dei vicariis inter homines exercetur. Mev. *c. l. Inſp. 5. §. 4. 5. ſeqq.* Quicquid alii dicant, vel hanc ſententiam aſſentationis plenam eſſe contendant, rem ipſam i. e. ſummam poteſtatem a modo conferendi & transferendi eam haud diſtinguentes. v. Rhetium *de abſol. princ. pot. c. 2. §. 32. it. §. 28. ſeqq.* Ill. D. Lynkerum. *de Pot. emin. princ. in judic. c. 2. §. 2.*

§. V.

Nam *quid eſſent jura in ſocietate hominum, niſi eſſent, qui illa regere poſſent. l. 2. §. 13. ff. O. J. Juxta Deum in manibus principum poſitum eſt imperium,* Tac. *Hiſt. II. 76.* & *regni tutelam ſuſcipiunt Imperantes.* Id. *ann. I. c. 12.* Lipſ. *lib. Pol. 2. c. 11. ex Heſiodo:*

Hac una reges olim ſunt fine creati,
Dicere jus populis, injuſtaque tollere facta.

Neque tamen ab hominibus demum hæc poteſtas & Imperium conſtitui poterat, cum illud diverſa jura contineat, ut jus vitæ & necis, itemque in alios &c. quorum conſtituendorum ratio ſupra vires humanas & facultatem poſita eſt. Jus ergo Dei eſt, & hinc principes dicuntur Dei gratia. Velthem. *de ſceptro directivo. c. 3.* Miniſtri Dei ad *Rom. 13, 6.* & regium ſolium, Dei ſolium. *Paralip. L. I. c. 29. v. 23.* & *l. II. c. 9. v. 8.* conf. Illuſtris D. Coccejus in *diſp. de ſumma Pot.* in *Leviath. refut.* & paſſim. Conring. *de Civ. Maj. §. II. ſequ.* Zigler. *de Jur. Maj. l. I. c. I. §. 46. ſequ.* Excell. D. Sam. Coccejus *de regim. uſurp. rege ejecto. §. I. ſeq.*

§. VI.

Illa igitur poteſtas imperantium; quæ in terris ſumma eſt & dicitur, non nudam aliquam facultatem infert, & meri arbitrii eſt, ſed & officium ſimul injungit, & vinculum obligationis continet, ad illud ſcilicet, ut intra fines territorii pietas atque juſtitia, tanquam firmiſſima ſalutis publicæ fulcra, & *quibus principes Dii fiunt* Lipſ. *Polit. l. II. c. 10. n. 20.* ſalvæ ſint atque perpetuæ; & extra Rempubl. quoque ut ab omni injuria libera ſit atque vindicata civium Patria, religio, fama, vita, familia, bona, & quæ conceſſa ſunt alia jura: Nam ubi princeps non defendit, nec obſiſtit, ſi poteſt, injuriæ, tam eſt in vitio, quam ſi Patriam, Cives & Rempubl. deſerat j. Cic. *off. l. I. c. 7. & l. II. c. 24.*

§. VII.

Quemadmodum autem Imperantibus hæc cura atque neceſſitas impoſita eſt: ita etiam ex ipſa ratione ſummæ Poteſtatis fluit jus eorum in jus quæſitum ſubditorum, hoc eſt, data eſt atque conceſſa Imperantibus poteſtas reſtringendi vel prohibendi penitus facultatem atque jura, quæ cuique ſubditorum acquiſita, eorumque propria ſunt.

§ IIX.

Nam uti Deus eſt rerum autor: ita etiam earum omnium arbiter; & inde ſingulis quidem hominibus facultatem de rebus & actionibus ſuis diſponendi conceſſit,

cessit, at ipsam hanc facultatem iterum potest vel restringere, vel penitus tollere. Gerunt autem summi hujus rerum moderatoris vices inter homines, qui summam in his terris potestatem tenent, prout §. 4. 5. demonstratum, & Becmannus *de Vicariatu divino ppum.* integro *cap.* 2. ex ratione naturali, S. Script. testim. & consensu gentium fusius probat. Vigore igitur vicariæ hujus potestatis de rebus & juribus subditorum disponunt, quippe quæ cum ipsis subditorum personis eorum voluntati utpote legi superioris subsunt. Ill. D. Cocc. *Posit. J. G. 3.* Rhet. *de absol. Pr. Pot. c. 3. §. 1.* Osiander *ad Grot. l. I. c. 1. obs. ad th. 6. in f.*

§. IX.

Ea tantum est notanda differentia, quod, cum alias regulariter omni ex parte eadem sit vicarii ac principalis potestas, Imperantium tamen potestati natura certi termini sint positi, quos nunquam excedere possunt. Deus itaque ut rerum arbiter absolute ex mero arbitrio suo jus illud exercet, id quod in rerum vicissitudine animadvertimus quotidie, maxime in hominum vita, quam pro lubitu hominibus adimit, mediante aliquo facto humano id fiat, an per mortem naturalem, nihil interest. v. summe Reverendum D. Rechenbergium *de Reserv. div. §. 21. seq.* Imperantium vero potestas, in cæteris summa, ad ea se non extendit, quæ ultra vires humanas posita sunt, ut sunt res intellectus & conscientiæ &c. neque etiam ad ea, de quibus Deus præcipiendo vel prohibendo absolute voluntatem suam declaravit ac ipse disposuit. Ill.

 D. Cocc.

D. Cocc. *de Evocat. sacr. s. III. §. 17. 18. sequ.* Zigl. *c. l. I. c. 5. §. 7. 40. sequ.*

§. X.

Ea igitur, quæ hominibus concessa sunt eorumque arbitrio relicta, & jura, quæ inde nascuntur & nata sunt, subsunt dispositioni & potestati Imperantium ad obtinendum finem a Deo propositum supra *§. 4. 5.* Ex quibus apparet, non admittendam esse distinctionem utpote nimis generalem eorum, qui jura principum examinantes, inter jus Naturæ & Civile distinguunt, quasi principes de illo indistincte nihil quicquam disponere vel mutare, hoc vero plane abrogare possint, quippe quod tanquam jus positivum ex voluntate eorum originem traheret Mev. *Nucl. J. N. & G. Insp. II. §. 23. n. 4.* de Petra *c. l. c. 3. quæst. 3. n. 73. sequ.* Nam & illa, quæ a Natura immediate nobis data sunt & permissa, sunt Juris Naturæ (Datur enim utique Jus naturæ permissivum v. Excell. D. Titium *ad Puf. de O. H. & C. c. 2. obs. 50.*) & jus etiam, quod cuique ex Lege superiorum quæsitum est, vere quæsitum & J. Nat. est, tam ex vinculo naturali, quo magistratui obsequium est præstandum, quam ex generali regula J. N. suum cuique est tribuendum, licet concessio illa sit positiva. De quibus tamen omnibus LL. ferre possunt, penes quos summa rerum in Repl. est Grot. *de J. B. & P. L. I. c. 1. L. II. c. 14. §. 7.* Hoc jus vere regium insigniter exprimit & exponit *1. Sam. caput 8.* de quo v. Zigl. *de J. Maj. l. 1, c. 4. n. 6. sequ.*

§. XI.

§. XI.

Dum autem Imperantibus per §. VI. & præced. vi summæ potestatis justitiæ administratio atque defensio Reip. imponitur, iidem sine dubio etiam ea omnia agere possunt, sine quibus officium illud & jus suum exercere nequeunt. *l. 2. ff. Jdict.* Zigl. *ad Grot. de J. B. & P. l. II. c. 14. §. 7.* Nisi enim medium unicum & necessarium, per quod demum jus aliquod salvum est, permissum, sed potius prohibitum esset, necessario ipsum quoque hoc jus corrueret; aut igitur jus non est, quod tamen, ut hactenus probatum fuit, a Deo constitutum est, aut medium ad illud obtinendum unicum & necessarium etiam a Natura conceditur Ill. D. Cocc. *Pos. J. G. 5.* Pufend. *de J. N. & G. l. II. c. 3. §. 20.* Hoc ipso argumento Pontius dux Samnitarum justitiam bellorum optime probat ap. Livium *l. 9. c. 1.* dum inquit, *Justum esse bellum, ubi necessarium, & pia arma, ubi nulla relinquitur, nisi in armis spes.* Quod si ergo publicæ rei ratio & necessitas dispositionem aliquam de juribus subditorum exigat, Imperantes quoque summo jure ita disponunt, rebusque illorum & opera utuntur. conf. Mev. *c. l. Inspect. 7. §. 18. seqq.*

§. XII.

Sicuti vero medium dicimus unicum & necessarium, quando alia media non supersunt, quibus imperans officio suo satisfacere, & saluti Reipubl. subvenire possit, de Petra *c. l. p. 578. n. 26.* ita quoque vocabulo necessitatis non tantum nobis venit ille re-

rum ſtatus, quando in extremum periculum & ſummum diſcrimen adducta eſt Reſpublica, ſed & naturæ neceſſitas ſufficit, quæ conſtituto aliquo jure, uti hic jure ſummæ poteſtatis, per rerum ordinem ea omnia etiam ſupponit & exigit, ſine quibus illud, ſive quæ ejus ſumma ratio eſt ſalus Reipubl. ſuſtineri non poteſt. Neque tamen illa quoque hic intelligenda eſt neceſſitas, ut per rerum naturam prorſus impoſſibile ſit aliud medium invenire, ſed moralis, quæ ad modum judicii humani pro neceſſitate habetur, & prudenti viro talis eſſe videtur. Semper tamen & ubique agentis jus ſupponitur, ſi qua ejus actio in ullo caſu neceſſitatis admitti debet.

§. XIII.

Sola namque neceſſitas, ſeu quælibet vis premens & cogens Gell. *Noct. Attic. l. 13. c. 3.* per ſe jus haud facit, cum ea ſæpius malitia, negligentia, aut alio vitio contracta ſit, quæ adeo punienda magis, quam ſublevanda eſt. At nec indiſtincte neceſſitas, licet nullo vitio vel culpa excitata fuerit, quodvis medium, quo etiam non adhibito jus natura fundatum corruit, licitum reddit, quaſi per eam, tanquam per vim majorem, juſtum fiat aliud, quam quod jus ſuggerit, ut vult Mev. *c. l. Inſp. 7. §. 17.* aliique quam plurimi, qui etiam inde probare conantur, quod liceat panem auferre, ne tempore neceſſitatis fame pereundum ſit. Nam uti bonum virum duriſſima quævis injuſtitiæ præferre decet, vide Mev. *c. l. Inſp. 8. §. 10.* ita a pœna tantum civili immunis eſt & excuſatur, qui neceſ-

ſitate coactus aliquid agit, quoniam dolus deeſt in actu atque malitia, Grot. *c. l. L. III. c.* 2. §. 4. Fritſch. *de præſidio neceſſit. contra L. concl.* 7. *ſect. VI.* v. O. Cr. *art. 166.* neutiquam vero a vitio & injuria; nec actio illa redditur juſta, ceſſat enim regula de medii neceſſitate, quæ alias in ſe vera eſt, quotiescunque diverſorum jura inter ſe collidunt, hæc enim ſe invicem reſtringunt, & nemini auferendum eſt jus: dum autem iis caſibus alterius jus læditur, ſuum cuique non tribuitur, hinc actus ille dici non poteſt juris executio, ſed ſumma injuria, quæ eadem manet, usque dum ejus reparatio facta fuerit, conf. Fritſch. *cit. diſp. ſect. VII.* ubi per varia exempla dicta corroborat.

§. XIV.

Propterea tamen & per limitationem modo dictam non tollitur pondus & veritas rationis §. XI. ſupra expoſitæ; Non enim ejusmodi colliſio jurium hic occurrit, aut privatorum dominium & jus poteſtatem imperantium reſtringit, ſed quisque tam privatus, quam Imperans jure ſuo intra limites a natura conſtitutos utitur. Nec obſtat, quod noſtrum ſine facto noſtro ad alium pervenire non poſſit. *l. 11. R. J.* ad quam legem Conringius *de Civ. Maj. §. 106.* reſpondet, deſumtam eam eſſe ex jure civili, perque eam majeſtati non tribui ſuum, privatis vero non ſuum, quæ quidem reſponſio nulla eſt. Sed reſpondetur; ſalva ſunt omnia, tam jus ſummæ poteſtatis in jus ſubditorum, quam regula *l. 11.* all. quæ tamen non juris civilis & mere poſitivi, ut vult Conring. ſed ejus ratio ipſa natura ſatis fundata eſt, dum ſc. ſupremus rerum diſpen-

ſator

ſator cuilibet diſponendi facultatem de rebus ſuis concedendo, hoc ipſo ſatis declaravit, ſe eam nolle impeditam §. *1. 2. ſupra.* Verum enim vero qui ſe jungit civitati, in eamque omnia ſua confert, tam de emolumentis participat & juribus ſocietatis, quam de neceſſitatis vinculo & obligationis præſtatione; qui ergo vult finem, vult etiam media ad iſtum finem tendentia: qui ergo cupit ſalutem reipublicæ conſervari, ſub qua ſui ſuorumque tutela continetur, ſubjicit ſe ſimul ſuperiorum diſpoſitioni, quæ, ut hactenus demonſtratum, ad jus privatorum proprium ſeſe extendit.

§. XV.

Minime tamen exinde inferri poteſt, jus hoc imperantium deſcendere ex præſumpta voluntate ſubditorum ſecundum Grot. *l. 2. c. 5. §. 17.* ſed vim habet & originem ex ipſa ratione ſummæ poteſtatis & Imperii, adeo ut licet coëuntes in ſocietatem, eique ſe jungentes eam voluntatem non habuerint, ſed potius contrarium declaraverint, nihilominus ad illud tenentur, & renunciatio quaſi proprii juris & privati in utilitatem publicam ipſa vi juris inſit, vinculum enim ſocietatis ſine eo conſiſtere non poteſt. Zigl. *de J. Maj. l. I. c. 4. §. 14.* Quod ſi ergo eſt ſocietas ad ſalutem communem & quidem juſta, neceſſario juſta quoque eſt obligatio ſe ſuaque diſpoſitioni ſummorum ſubmittendi, alias enim nec communis nec propria ſalus ſalva eſt. *Sua enim non ſervat, qui publica prodit.* Livius *l. 26. c. 36.* contra reſpubl. incolumis res privatas facile ſalvas præſtat. Inſignis eſt ſententia Periclis de hac re apud Thucydidem allegata cum multis

tis aliis testimoniis a Grotio *l. 1. c. 4. §. 4. v.* Ill. D. Cocc. *de S. Pot. §. 15.* J. Grot. *c. l. §. 2.* de Petra *p. 573. seq.* Zigl. *J. Maj. l. II. c. 3. §. 8. 9.*

§. XVI.

Dura quidem videtur lex esse naturæ, qua Imperantibus permittitur, quod inter privatos graviter vindicatur, sc. jus aliis quæsitum auferre, cum tamen eorum tanquam Reipubl. tutorum officium, ejusque summa sit, curam habere, ut cuique suum jus salvum conservetur: Verum quemadmodum æquitas & justitia hujus potestatis ex hactenus demonstratis satis apparet: ita quoque regulariter unus civium præ alio gravari non potest, cives enim æqualiter obligantur civitati, hinc etiam ei, qui forte in casu quodam necessitatis Reipubl. damnum passus est, rata pars a cæteris refundi debet, Struv. *de Facult. utendi rebus alt. th. 23. l. 9. C. oper. publ. l. 15. §. 2. R. V.* nisi forte damnum hoc accidat, non facto civitatis sed casu v. g. vi hostili, res enim perit domino, non ei cujus non est. Ill. D. Cocc. *de S. Pot. §. 19.* aut si damnum prævideri atque evitari potuerit. v. g. quando ædes munimentis civitatis nimis propinquæ belli tempore diruuntur. Pufend. *de J. N. & Gent. l. 8. c. 5. §. 7.* Dum enim domini illas eo in loco exstruunt, sciunt easdem tali fortunæ subesse. His ergo & similibus casibus nec civitas in culpa est, nec nisi sibi imputare debent domini, quod, cum potuerint, damnum prævisum non evitaverint, ideoque nullam damni ratam a reliquis civibus recipient. Becman. *Meditat. Polit. diss. 21. §. 8.*

§. XVII.

Præterea esto etiam, *summum jus summam appellari crucem* ex Columella *de re rust.* Lipſ. *Pol. 2. cap. 11. n. 10.* Melius tamen eſt, privatum pati, quam totam rempub. Ertl. *de Jure principum Ex. III præponenda enim ſunt ea, quæ communiter omnibus proſunt his, quæ ſpecialiter quibusdam utilia ſunt. Auth. Res quæ. comm. de leg. Quin nulla lex ſatis commoda omnibus eſt, id modo quæritur, ſi majori parti prodeſt. &c.* Liv. *l. 34. c. 3.* Unde *innumerabilibus rebus probari poteſt, multa J. Civ. contra rationem diſputandi pro utilitate communi recepta eſſe. l. 51. §. 2. ad L. Aquil.* Quod ſi vero aliquando modo plane ſingulari princeps agere neceſſe habeat, notandum eſt, quod vere Caſſius apud Tac. *Ann. 14. c. 44.* dixerit, *habet aliquid ex iniquo omne magnum exemplum, quod contra ſingulos utilitate publica rependitur.* Quanquam ſpeciem tantummodo iniqui præ ſe ferat, re ipſa vero tale quid non contineat, dum ſalus publica id urgeat. j. Max. Rever. D. Rechenbergii *diſp. An jus regnandi gr. ſit viol. §. 17.*

§. XIIX.

Ex quibus omnibus ſimul conſtat, non videri adeo impium eſſe Cæſaris Symbolum apud Sveton. *c. 30.* allegatum a Cic. *Off. III. c. 21. Nam ſi violandum eſt jus, regnandi gratia violandum eſt, aliis in rebus pietatem colas.* Non quidem eodem vel ſimili caſu & exemplo, quo Cæſar, de quo vide all. diſp. ſumme Rev. D. Rechenbergii *An jus regn. gr. viol.* vel Eteocles Thebanus ap. Euripidem de Phœniſſis *act. 2. v. 527.*

adver-

adverſus fratrem ſuum Polynicem alternam regni administrationem jure vindicantem dictum hoc allegavit, ſed ſi argumentum & ratio ejus in genere conſideretur. Violare quidem a vi & violentia dicitur, e contraria parte ſecundum LL. agere, legis actio, & Græcum vocabulum ἀδικεῖν ſignificat contra jus agere. Verum vis duplicis generis eſt, juſta alia, alia injuſta. Quando igitur princeps urgente ſalute Reipubl. jus ſubditis quæſitum aufert, contra eorum jus privatum agit, vimque infert. Verum poteſt vim adhibere, cum hoc jus etiam detur in ſubditos invitos ſupra *§. 14. 15.* idque jure fit, non injuria, juris quippe executio nullam injuriam continet, etſi per vim fiat. *l. 13. §. 1. Injur.* Sanus igitur ſenſus politici hujus axiomatis eſt, Principem regnandi gratia h. e. pro ſalute Reipubl. contra privatorum jus agere, vel iſtud penitus auferre poſſe, at extra hunc caſum ſalvum cuique jus ſuum conſervare debere. Et hoc ſenſu defendimus hoc axioma, alio vero & quo communiter in notatis exemplis explicari ſolet, merito illud ut tyrannicum & contra jus, fas & æquitatem improbatur.

§. XIX.

Vidimus hactenus quæ ſint genuina juris propoſiti fundamenta. Negamus itaque obtinere illud vi ſupereminentis alicujus dominii: quod tamen Grot. *de J. B. & P. l. I. c. 1. §. 6. & L. II. c. 14. §. 7.* Pufend. *de I. N. & G. 8. c. 5. §. 7.* Ertl. *de Jur. Princ. Ex. III.* aliique quam plurimi aſſerunt. Quin imo Rhetius *de abſol. Princ. Pot. c. 3. §. 168. ſq.* nullam plane formalem differentiam inter dominium eminens & privato-

rum agnoſcit, & indefinitam principi poteſtatem circa bona ſubditorum competere ſtatuit, & ſimil. Attamen Imperium & dominium diverſiſſima ſunt. Dominium domini cauſa, Imperium non imperantium, ſed ſubditorum cauſa conſtitutum eſt. Dominium abutendi facultatem includit *l. 21. C. Mand.* Imperium ad conſervandum tuendumque unice conſtitutum eſt: alias differentias v. in diſſert. D. Præſidis *de Immutab. J. Primogenit. c. 3.* J. Schilter *Manuduct. ad Philiſoph. Mor. c. 8. §. 68. ſequ.* Leyſer *Pro imperio contra dom. em. contra Horn.* Neque eſt ſecundum Grot. c. l. regis dominium aliquod in res ſingulorum ad bonum commune majus, quam dominorum ſingulorum, quin imo privati dominium potius eſſe videtur, cum quilibet, qua jus dominii ſpectatur, re ſua abuti, princeps e contrario jure ſuo in perſonas, res & jura ſubditorum non niſi ad ſalutem Reipubl. uti poſſit, minus vero etiam recte unum altero majus dici poteſt, quoniam quisque Imperans juxta ac privatus, jure ſuo utitur, ille ad communem tantum utilitatem, hic vero ad propriam utilitatem pro lubitu. Jus ergo utriusque valet intra ſuos terminos.

§. XX.

E contrario ſi dominium & Imperium non differſint, princeps etiam omnia, quæ ſunt in Repub. ad propriam utilitatem convertere poteſt, quo ipſo tyrannis & Imperium nulla ratione differrent, id quod cum rectæ rationi minime convenire animadverterit Ertl. *c. l. Principem* inquit *dominum eſſe regionis ſuæ, non tamen quoad proprietatem bonorum, ſed ſolum quoad adminiſtra-*

ministrationem & tutelam. At respondetur primo Dominium & proprietas nativa significatione diversa non sunt, dominus enim est, cujus est res propria, & rei proprietas ei competit, qui dominus est. Qui ergo potest esse dominus quoad administrationem &c. Secundo non negatur vocabulum dominii non tantum proprietatis, sed omnium jurium, jurisdictionis, & cujusque potestatis dici solere, atque ita pro varietate objecti ejusque rationis vel plenam disponendi facultatem, ut in dominio proprietatis, vel minus plenam & limitatam, ut in dominio jurisd. potestatis &c. admittere, qua etiam interpretatione facta, & vox illa dominii eminentis & verba citati autoris tolerari possent: Attamen hæc non distinguunt, qui Imperium & dominium eminens idem esse defendunt, sed ubique proprietatem aliquam seu jus plenum ex eo inferunt; quin etsi quandoque jus dominii ceu proprietatis a Jure Imperii secernant, statim tamen in pristinum errorem delabuntur, & sic incerti semper & ubique fluctuant, id quod deprehendimus in modo citati autoris verbis locum allegatum proxime subsequentibus, *bona subditorum non sunt in Imperio principis, sed in dominio singulorum, & provincia generaliter considerata est principis, sed per partes considerata singulorum.* Nam bona subditorum sub imperio esse, in præcedentibus verbis asseruit, & provincia ne quidem generaliter considerata eodem modo est principis, uti per partes considerata singulorum est, i. e. quoad dominium. Nam Respubl. non est principis, sed princeps Reipublicæ. Seneca *de Clem. l. 1. c. 19.* sed est sub imperio, & nihil interest, sive generaliter, sive per partes con-

ſideretur, nam & de tota provincia ejusve parte, & de ſingulorum bonis diſponit princeps ad ſalutem Reipubl.

§. XXI.

Equidem a defenſoribus hujus vocabuli tot limitationes & explicationes adduntur, ut iis res fere eadem ſeu imperium reſtituatur, adeo ut omnis diſputatio de nomine tantum videatur eſſe, non re, uti idem cenſet D. Pufend. *c. l.* At uti veriſſimum eſt, quod dicit celeberrimus Ziglerus ad *Grot. l. 1. c. 1. §. 6.* ambitioſum eſſe vocabulum dominii, idque principi ſi tribuendum fuerit, verendum, ut in officio ſuo continere ſemper poſſit ille, quantumvis optimus & integerrimus &c. j. eundem *ad Grot. l. 11. c. 14. §. 7.* ita ne nomina quidem admittenda ſunt, quæ rem aliam plane docent, quam quidem ſua natura eſt. Quippe *multi ſpectant rerum nomina, & ex his æſtimatione facta ſæpe vel noxium quippiam admittunt, vel utile aliquid refugiunt.* Dionyſ. Halicarnaſſ. *L. IV. p. 208.* Nec ſcrupulum tollit aut malum quod inde metuitur, quod verba & vocabula intelligenda ſint, prout eadem autor eorum, & qui primus iis uſus eſt, explicaverit, ut Bœclerus *de dom. emin.* Grotium defendere conatur: Nam nomina uſu publico valent, non opinionibus privatorum. *l. 7. §. 2. ſupellect leg.* Neque obſtat, quod principes appellentur domini tam a ſubditis, quam etiam a non ſubditis, nam hoc ipſo apparet, vocabulum domini non denotare proprie & ubique imperium ejus, qui ita appellatur, ſed inſignem prærogativam, dum etiam principes appellantur domini ab iis,

qui

qui eorum poteſtati plane ſubjecti non ſunt: Præterea hoc ipſum nomen communi loquendi uſu receptum, ſecus ac in vocabulo dominii eminentis. j. Excell. D. Reinhardi not. *ad Lipſ. Polit. Præf. 1. n. 50.* Et quid opus novum fingere nomen, cum præſtet illud (ſc. Imperium) retinere, quod ab omni ſeculo uſuque gentium probatum, genuinum eſt, & rem totam ejusque naturam ſine omni errore exprimit Ill. D. Cocc. *de Imperio in pares §. 6.*

§. XXII.

Negamus vero etiam contra Simonem *ad Grot. l. 4. c. 14. §. 7.* rejecto vocabulo Dom. em. & retento vocabulo Imperii opus eſſe, ut diſtinguatur inter Imperium ordinarium & extraordinarium. Nam eadem eſt ratio diſpoſitionis & juris principum, ſive caſus ordinarius ſit, ſive extra ordinem & raro contingat, ſive generaliter & indiſtincte ad omnes ſubditos eorumque negotia mandatum principis pertineat, ſive diverſa perſonarum, cauſarumve conditio ſpecialem legem poſtulet, ſive caſus plane ſingularis, qui alias neceſſitatis in ſpecie & extraordinarius dicitur, limitationem vel prohibitionem Juris quæſiti urgeat, eadem inquam eſt ubique juris ratio, ſcilicet ſalus Reipl. in omnibus enim actionibus ſuis publicis princeps id obſervet, quod intereſt Reipublicæ.

§. XXIII.

Rectius igitur Imperium a dominio diſtinguitur *l. 215. de V. S.* rectius Seneca *de benef. l. 7. c. 4. Ad reges poteſtas omnium pertinet, ad ſingulos proprietas, &*

c. 5. Sub optimo rege omnia rex Imperio possidet, singuli dominio. Quæ eadem fuit & verior sententia Bulgari ICti, e contrario minus justa at magis utilis fuit Martini responsio, regi nempe omnium competere dominium; quæ, cum magis placeret Imperatori Friderico, causa fuit, ut is equum, quo descenderat, Martino donaret, unde Bulgarus: Dixi æquum, tulit alter equum, quod non fuit æquum, Lehman. *Chron. Spir. l. 5. c. 49. p. m. 512.* j. de Petra *c. l. c. 34. n. 62. seqqu.* Neutiquam tamen Imperantibus tantum ministerium datur, aut magistratus cum majestate confunditur, si iis denegatur dominium, sed iisdem potius ratione Protectionis, Jurisdictionis, & cujusque partis alterius hujus potestatis jus & imperium, rejecto dominio, asseritur, ut quidem inde infert Conring. *de Civ. Maj. §. 106.* Magistratus enim, quatenus opponitur ei, qui summam potestatem habet, non proprio jure & potestate, sed vi nudi officii, alterius nomine jus dicit, princeps vero propria potestate, qua neminem præter Deum superiorem agnoscit, agit, quicquid pro ratione imperii agit, unde cum summa potestas in eum collata sit, non nudus est administrator aut populi minister.

§. XXIV.

Eodem modo, ut hactenus dominium eminens, ita figmentum aliud autorum, plenitudo potestatis merito rejicitur. Duplex ab iis, qui eam asserunt, in principe statuitur potestas, ordinata alia, alia suprema, quæ & absoluta; cit. de Petra *c. l. n. 8.* Vasqu. *Controv. Ill. l. 1. c. 1. n. 4. seqq.* quasi ultima species sit potestas nulli necessi-

necessitati subjecta, nullisque publici juris regulis limitata: quam Baldi definitionem refert, suamque facit Rhetius, *cit. supra loco c. 3. n. 10. sequ.* Quasi quicquid indistincte principi placet, indistincte quoque legis habeat vigorem: ex qua porro plenitudine potestatis jus principum in jura & bona subditorum derivant; quo principes pro lubitu, nulla juris ratione habita, vel, ut loquuntur, sine causa uti possint. Verum injustitia hujus asserti ex demonstratis in præsenti dissertatione rationibus abunde apparet. Hanc plenitudinem potestatis summam injuriam esse Covarruv. *Var. Resol. L. III. c. 6. n. 8.* Fachin. *Controv. L. 8. controv. 67.* Vasqu. *c. l.* Perez. *J. Publ. p. m. 97.* aliique plurimi probarunt. Neque defensores ejusdem sibi ipsis constant, ut enim principum gratiam adulatione captent, potestatem iis tribuunt nullo jure circumscriptam; Verum rei veritas eos adigit, ut limitationibus additis rem ipsam iterum penitus destruant. Ita cit. de Petra statuit, ejusmodi plenitudinem potestatis jure principibus competere, at. *c. 2. n. 7.* eos peccare dicit, qui facile ex plenitudine id agerent, quod sine ea facere non possent, & *n. 9. c. 24. 25. &c.* principem non debere uti plenitudine sine causa &c. Sed vix ea refutari merentur, nam si talis plenitudo principi jure competit, quicquid ex ea agit, jure agit, ergo non peccat, & si ex eadem sine causa agere non potest, eadem est cum ordinaria potestate.

§. XXV.

Nec scrupulum tollit, aut dissentientes conciliat distinctio Conringii *de Civ. Maj. §. 107.* inter usum hu-

jus potestatis & abusum. Nam 1.) qui pro lubitu de re aliqua disponere potest, ea etiam, qua jus spectatur, abuti potest, eam consumere, alienare &c. nec aliam suæ actionis normam admittit, quam suum arbitrium, & τὸ quia placet; id quod tamen imperantes in Republ. facere non possunt. Ergo plane nullus usus est ejusmodi liberioris potestatis & licentiæ, quæ normam aliam, quam nudam voluntatem principis non habeat; Salus enim reipubl. suprema lex est. Quod si vero 2.) per illam distinctionem res ita declatur, & explicetur, ut illa licentia statuendi restringatur & adimatur, & jus ipsum ad normam suam, i. e. ad salutem Reipubl. reducatur, distinctio plane inutilis erit, nec opus est fingere aliquam plenitudinem, cum hoc ipso res eadem, Imperium & ordinaria principis potestas restituatur, alias plenitudo potestatis æque ac abusus Imperii injuria est.

§. XXVI.

Minus quoque admitti potest distinctio Rhetii *c. l. n.* 28. inter id, quod facere possumus, & quod facere debemus, quorum illud juris & licentiæ, hoc justitiæ & honestatis esse, ac inde facta principum omnia ut licita defendi posse asserit, licet quædam probari non possent ut justa. At verba hæc non nisi contradictiones continent, nam quid potest esse licitum, nec tamen justum? quid potest esse juris, quod non sit simul justitiæ, & vice versa? Quæ autem jure prohibentur, jure habentur pro impossibilibus, multo minus ergo pro licitis. *l. 15. ff. condit. instit.* Ulterius instat, nullum esse tribunal in hominis ætate, ad quod princeps citari vel

trahi

trahi possit: sed respondetur, subditis quidem jus & facultas judicandi actiones principis non competit, cum omne jus & tota reipublicæ administratio in principem translata sit, at desinit talis, ubi suæ facultatis notorios terminos notorie excedit: Præterea superest summum & sanctissimum tribunal Dei, coram quo omnium suarum actionum rationes exactissime reddere debet. Id vero otiosum plane figmentum est, nec ulla diversitatis ratio allegari potest, quod in ablatione juris positivi justa subesse causa præsumatur, in ablatione vero Juris N. & G. eadem causa a principe probanda sit, ut vult cit. de Petra *c. 24. n. 7. sequ.*

§. XXVII.

Progredimur nunc ad quæstionem, quis judicet, quando intersit Reipublicæ de jure Civibus quæsito disponere? & respond. judicium est penes Imperantes. Dependet igitur a forma Reipl. Hinc ante omnia inspicienda sunt pacta inita, conventiones, capitulationes &c. quippe quæ normam administrandæ Reipl. præscribunt; si ergo totus populus in ea concurrit, vel plurium fidei ac prudentiæ commissa est respl. optimates vel totus populus judicant, nam non solus & unus monarcha tantum hoc jus in regno habet, sed cum sit particula majestatis, quæ est anima cujuscunque etiam reipl. quævis etiam respubl. id exercet. Conring. *de Maj. Civ. §. 104.* Si vero uni summa rerum tradita est, solus ille judicat, non subditi, quippe principi per translationem imperii omnia jura a populo commissa sunt, qui loco numinis vi summæ potestatis illa tuetur & exequitur. Ill. D. Cocc. *de S. P. §. 16. 17.* Zigl. *J. Maj.*

l. 1. c. 4. §. 18. recte Terentius apud Tacitum *Ann. VI. c. 8.* ad Tiberium *non est nostrum æstimare quem supra cæteros & quibus de causis extollas. Tibi summum rerum judicium Dii dedere, nobis obsequii gloria relicta est*, & mox, *abditos principis sensus, & si quid occultius parat exquirere, illicitum, anceps &c.*

§. XXIIX.

Curant ergo imperantes, qua ratione justitia commode in republ. administranda, quando severitas in pœnis adhibenda sit, vel non sit *l. 11. 13. ff. de pœnis.* judicat is, qua ratione defendenda respublica: quo maxime pertinet conservatio dignitatis & existimationis ejusdem & Imperantium, *immensa quippe multitudo autoritatis quasi spiritu regitur.* Sen. *1. de Clem. c. 3. & principibus præcipua rerum ad famam dirigenda.* Tac. *Ann. 4. 40.* quantum e contrario contemtus majestati & Imperio noceat, vide Conr. *de Maj. imperant.* Judicat is, quæ sit expectanda necessitas, & quando publica utilitas excellens pro articulo ultimo necessitatis reputanda, & quando ei accedat ejusmodi æstimatio, quæ pro necessitate habenda. Cic. 2. *Invent. 58.* scit ille, *summam rationem sapientibus pro necessitate esse.* Plin. *Epist. I. 12. neque extremam & incurabilem necessitatem expectandam, cum omne malum nascens facile opprimatur, inveteratum plerumque fiat robustius.* Cic. *Philipp. 5.* jung. *§. 12.* supra.

§. XXIX.

Neque obstat, quod, dum principi hac in re judicandi potestas relinquitur, eadem inde incommoda metuen-

metuenda ſint, quæ ex dominio eminenti deſcendere ſupra notatum fuit, & fere princeps pro lubitu de republ. diſponere poſſit, ac ſi ei dominium in eam competeret, quippe *principes indulgentia fortunæ, & pravis magiſtris facile diſcunt audentque*, Tac. *Hiſt. II. c. 84.* Nam & principibus officii fines præſcripti ſunt, v. ſupra quos ſi negligant, graviſſimas pœnas luent. *L. ſapient. c. 6.* Agunt opus Dei, cujus vicarii ſunt, maledictus autem eſt, qui facit Dei opus negligenter *Jer. 48. 10.* Docet eos conſcientia, rationes aliquando eſſe reddendas, *quippe quam a Diis accepimus, quæ divelli a nobis non poteſt.* Hæc ipſa iis acclamat illud Poetæ:

Vos quibus rector maris atque terræ
Jus dedit magnum necis atque vitæ,
Ponite inflatos tumidosque vultus,
Quicquid a vobis minor extimeſcit
Major hoc vobis Dominus minatur.
Omne ſub regno graviore regnum eſt.

ex Lipſ. *Pol. I. c. 5.* Nec id quod intereſt principis & Reipubl. a ſe invicem ſeparari poteſt, niſi ut quælibet civitas, ita & univerſa ſocietas humana maximum damnum inde accipiat, ſed utriusque ſalus atque felicitas perpetuo & indiſſolubili vinculo cohærent. Seneca Thyeſte *2. v. 40.*

Ubi non eſt pudor,
Nec cura juris ſanctitas, pietas, fides,
Inſtabile regnum eſt.

Jungatur Comminæus. *Comment. l. 10.* ubi de Mahumeto Turcarum Imperatore refert, ei in teſtamento doluiſſe plurimum, quod extra ordinem ſuis pro-

 vinciis

vinciis imperasset pecuniam, Legi meretur autor usque ad finem cit. libri.

§. XXX.

Secundum ordinem rei formandæ jam essent regulæ & rationes demonstrandæ, quibus determinaretur, quando ex re Reipl. esse videatur, jus quæsitum subditorum vel restringere vel tollere, quibus tanquam ad normam judicare principes possint, an & quando jure suo uti queant. Verum has rationes offert & suppeditat quivis rerum casuumve status & conditio, & regulæ maximam partem ex Politica desumendæ sunt; neque tamen hujus etiam regulæ generales sufficiunt, cum ob diversitatem rationis status, uti vocatur, rerum publ. rerumque incertos eventus certi quid vix statui, adeoque nec norma quædam universalis constitui possit v. Excell. D. Titium *ad Pufend. de O. H. & C. prol. §. 78. seqq.* sed tota res a forma reipublicæ ejusve statu & ratione tam intra fines suos, quam cum vicinis atque exteris pendeat.

§. XXXI.

Præstat potius casus quosdam & exempla referre tam ex J. Civ. privato, quam publico gentium, in quibus rationes publicæ utilitatis apparent, quibus imperantes moti de jure subditorum disposuere: & quidem quod ad exempla attinet ex J. Civ. desumta, amplissimum eorum catalogum exhibet disputatio Ill. D. Lynkeri *de Pot. em. princip. in judic.* ut & D. Rhothii de *Pot. Dom. territ. & relat. subdit. oblig.* quo benevolum lectorem delegamus, quibus ergo tantum pauca nobis

nobis addere liceat, quæ cum reliquis ex jure Gent. nullo obſervato ordine breviſſimis indicabimus.

§. XXXII.

In genere quidem ex hoc jure eſt Legislatoria poteſtas, tam circa ſacra, quam profana. Leges enim poſitivæ nihil aliud ſunt, quam diſpoſitiones Imperantium tam de perſonis ſubditorum, quam de eorum juribus &c. idque tam quoad formas negotiorum, rerumque acquiſitionem, alienationem, atque translationem, quam quoad reliquas actiones & facta, quibus omnibus certus præſcribitur ordo, quo cuique natura competens facultas circumſcribitur, manente ea de cætero liberrima. Eodem vero modo uti princeps Leges ferre, ita & easdem abrogare poteſt, id modo caveat, ne Legum multitudo æque periculoſa ſit Reipubl. quam majeſtati ſplendorem detrahit frequens & ſubita Legum omnis mutatio. Conr. *dom. Em. ſ. 80.*

§. XXXIII.

Sic quoque deſcendit ex jure principis demonſtrato omnis pœnarum conſtitutio. Nam ſi alteri res ipſa, quæ ei abeſt, reſtitui non poſſit, re forte conſumpta, nec apud delinquentem exiſtente, aut ſi aliquo facto damnum datum fuerit. Prætcrea ultra hanc reparationem injuriæ pœnæ ad emendationem hominum conſtituendæ ſint *l. 20. ff. de pœn.* ut & creſcente hominum malitia adhibenda ſit Reipubl. cauſa ſeveritas, ſine qua adminiſtrari Civitas non poteſt Cic. *L. I. off. c. 25.* ſumenda eſt omnis hæc pœna ex bonis & juribus delinquentium. Nam delinquens & æſtimatio-

nem

nem ejus rei & damni reſtituere, & pœnam quoque ſolvere debet, quæ ad coërcendam malitiam publice conſtituta eſt; Hæc autem reſtitutio & ſolutio ex propriis bonis & patrimonio facienda eſt; quod ſi vero ille in ære non habeat, in corpore luat neceſſe eſt: vel ſi delictum gravius ſit, quam ut ex patrimonio reparari poſſit, pœna etiam corpus affici, eaque & fama, & libertas, (unde olim ſervi pœnæ) & vita adimi poteſt, quæ omnia delinquentis ſunt: quin & illa ultra ad liberos cognatosque & ad mortuorum cadavera, memoriæque damnationem jure extenditur, v. Ill. D. Cocc. *diſp. de juſtit. pœn. in abſ. &c.*

§. XXXIV.

Singularem etiam ob rationem introductæ ſunt agentibus & J. Civ. certæ negotiorum formæ, ut contractuum, ſtipulationis &c. quibus quantum fieri poteſt, ambiguitates in negotiis civilibus, præcidantur. Eodem ex jure non naturæ Jure originem habet teſtamentaria diſpoſitio. v. Excell. D. Joh. Gottf. Coccejus. *De Teſtam. Princ. P. I.* dubium ergo non eſt, quin princeps ſibi ſubjectis teſtandi libertatem iterum auferre poſſit. *c. l. §. 42.* Pertinent huc reſtitutiones in integrum, exceptiones SCti Vellei. Maced. rei judicatæ &c. quibus omnibus remediis aliquid alterius juri ex ratione publicæ ſalutis detrahitur, ut iis qui vel ob lubricum ætatis, imbecillitatem ſexus, vel aliam cauſam facile decipiuntur, ſuccurratur, vel ut magiſtratus & ſententiarum autoritas illibata ſervetur, aut fraus & malitia coërceatur. Pertinent huc uſucapiones atque præſcriptiones, quibus cum tempus per ſe

&

& ipso jure modus acquirendi juris & tollendæ obligationis non sit *l. 44. §. 1. O. & A.* tamen propter utilitatem publicam, ne rerum dominia in incerto sint, atque lites desinant, certum tempus statutum est, quod si rerum suarum negligentes præterlabi passi fuerint, nec jura sua intra illud vindicaverint, ea amittunt, & alteri acquiruntur. *pr. I. Usucap. l. 1. ff. eod.* v. binas disp. Ill. D. Cocceji *de Finib. B. F. in præscript.*

§. XXXV.

Quibus consideratis immerito D. Ziglerus *de J. M. l. I. c. 4. §. 20. seq.* iniquitatis accusat *l. 2. & 3. C. de quadrienn. præscr.* ac si contra jus esset, quod ibi statuitur, non dari actionem etsi realem adversus eum, in quem a fisco, vel ab Imperatore & Augusta licet ex privata eorum substantia res alienata fuerit, sed si qua competere videatur actio, instituendam eam esse adversus fiscum vel domum venerabilem Augusti Augustæve, & quidem intra quadriennium, hoc vero elapso plane nullam fieri actionem, qualiscunque ea fuerit: idque impugnat his ex rationibus, quoniam 1.) princeps in contractibus & aliis negotiis civilibus privatis, privatorum jure utatur, nec 2.) possit jus tertio quæsitum in rem a fisco & principe alienatam, invito eo, auferre, cum obligatio, quæ ex privatorum contrahentium consensu est, ortum habeat ex J. Naturæ, quam adeo principi non liceat infringere vel rescindere; neque 3.) intercederet hoc casu utilitas vel necessitas publica, ob quam aliquis rei suæ dominio privari possit.

§. XXXVI.

Nam quod primum attinet, quod princeps in privatis ſuis negotiis jure privato utatur, id meri arbitrii eſt, cum alias ſolutus ſit Legibus, quibus ſi ſe ſubmittit, id ultro facit, in quo igitur de contraria diſpoſitione ejus & exemtione conſtat, ut in præſenti caſu; citra omnem iniquitatem jure ſuo & poteſtate utitur, eo magis, cum in privatorum quoque negotiis generalis regula juris obtineat, prout quisque diſponit, ita jus eſt, voluntatem autem ſuam, & qua ratione alienationem a ſe ipſo vel fiſco factam valere velit, per ſpecialem legem & conſtitutionem ſatis declaravit. Nec obſtat ſecunda ratio, negatur enim principi non competere jus in jus quæſitum ſubditorum, nec ulla allegari poteſt ratio, cur principi in rebus a ſe vel fiſco alienatis non liceat brevius tempus ad infirmandum jus alterius ſtatuere, cum in genere in uſucapione & præſcriptionibus determinatio temporis ab ejus voluntate pendeat, ſibi enim quisque imputet, quod debitam diligentiam in rebus ſuis omiſerit. Intereſt vero etiam 3.) reipubl. ut fiſcus emtorem inveniat, & qui conſiliis & laboribus ſuis die noctequе pro ſalute publica laboret, quare non habeat dignam ſua prærogativa fortunam *d. l. 3. in f.* In caſu a laudato D. Zieglero *§. 24.* propoſito quæſtio erat non de eo, quod a principe donatum, ſed de eo, quod ultra id, quod princeps donare voluit, donatarius poſſidebat.

§. XXXVII.

Porro & jure antiquo ſervis dabatur libertas. *t. t. C. ex quib. c. ſervi pro præm. lib.* vel Imperatores natalibus

libus eos restituebant, forte si de Repub. bene meriti fuerint, ut Vindicio accidit ob patefactam proditionem. Livius *L. 2. c. 5.* etiam invito patrono quamquam non facile. *l. 2. ff. natal. restit.* de Petra *c. 30. n. 36. seq.* Ex Jure communi constat, quam multa singularia in favorem militiæ constituta sint. Viam ad sepulturam per fundum suum quisque permittere debet *l. 12. ff. relig.* quam etiam vicinus præstare debet, cum via publica vel fluminis impetu vel ruina amissa est *l. 14. §. 1. ff. quem. serv. am.*

§. XXXIIX.

Natura cuique libera facultas commeandi contrahendique quæsita est, & inde ad emendum vel vendendum regulariter invitus nemo cogitur. *l. 16. C. J. de lib. l. 11. 13. 14. C. contrah. emt.* Possunt tamen alii a commerciis vel plane vel certa ratione arceri v. Magnif. D. Menck. *ad π. tit. de emt. & vendit.* vel saltim, forte ob metum caritatis annonæ, vel tempore belli privatorum granaria recludi, aut cogi Cives, ut ad longum tempus victum sibi comparent. *l. 1. C. ut nemini liceat &c.* Carpz. *l. 1. Resp. 42. n. 15.* Hinc & pretium rebus vendendis publice determinari solet cit. Petra. *p. 593. n. 36 seq.* ad avertendam inopiam & coërcendam venditoris avaritiam, videatur Ziglerus *de J. Maj. l. 1. c. 46.* qui & rationes allegat, cur hoc ad res, quæ ad victum necessariæ, restringi soleat. Dominus ob nimiam sævitiam servam vendere tenetur per *§. 2. J. his qui sunt sui vel al.* Ad cœmeteria exstruenda privati agros suos concedere debent. v. Carpz. *Consist. l. 2. d. 288.* æque ac quando urbs munimentis circumdanda, D. Pufend.

de J. N. & G. l. 8. c. 5. n. 7. item si ædificia, vel quæ alia opera mœnibus vel publicis operibus ita sociata cohæreant, ut ex his incendium vel insidias vicinitas reformidet, aut augustentur spatia platearum, vel minuatur porticibus latitudo &c. præcipi potest a principe, ut diruantur & prosternantur *l. 14. C. oper. publ. l. 2. §. 17. ff. ne quid in loco publ.* dominus etiam prohiberi potest, ne diruat ædificia, ne publicus deformetur aspectus *l. 2. C. ædif. priv.* & contraria ratione aut ruinarum reparatio aut loci venditio imperari potest. Vasqu. *controv. Ill. L. I. c. 1. n. 7.* Mev. *Decis. 239. p. 8.*

§. XXXIX.

Cum intersit Reipubl. ut concurrant negotiatores *l. 1. ff. de nund.* datum est privilegium nundinis, ut iis durantibus mercatores ex debitis Civilibus conveniri aut arrestari nequeant *l. un. C. nund.* videatur Carpzov. *P. I. Const. & 30.* maxime Ziglerus *c. l. c. 43. n. 5. sequ.* qui multos DD. allegat, & varias circa hoc privilegium controversias recenset. Quantum damnum monopolia Reipubl. afferant, testis est experientia, hinc graviter prohibita *l. un. C. Monop. Ord. Pol. 1577. tit. 15.* Quoties vero contrarium videtur expedire reipublicæ, concedi quoque possunt; Rationes, ob quas illa civitati quandoque conducant, vide ap. Zigl. *c. l. c. 47. n. 3. seq.* qui & *c. 48. n. 3. seq.* moratoriorum justitiam probat, eaque defendit. Quæ a DD. de revocatione privilegiorum, quæ ex mera principis gratia originem habent, ad præsentem materiam referri solent, vix huc pertinent, quoniam eadem pro lubitu revocare posse juris communis est, nam precarium revocari potest

pro

pro lubitu *l. 1. ff. precar.* privilegiorum a. illorum conceſſio non niſi precarium eſt. Magis huc pertinet, quod princeps immediate ad ſuam curiam res & cauſas ſubditorum avocare, & omnia, etiam non compellato judice loci exequi poſſit, quanquam ei, qui convenitur, jus in foro competente quæſitum ſit; nam poteſtas conſtituendorum magiſtratuum penes eum eſt: uti igitur is ordines judiciorum & jurisdictionum conſtituit, ita & iis Leges dat. *2. F. 56.* Ill. D. Cocc. *de Concurſu Idict. §. 20.*

§. XL.

Religio quidem non imperatur, Thuanus *in dedic. ad Heinr. IV.* & ſupra §. 8. at quouſque princeps in extrinſecis & quoad ipſum exercitium in religione reformare poſſit. v. Ill. D. Cocc. *Jus l. c. 18. §. 29. ſeq.* & Juris publ. ſcript. Jus vitæ & necis in ſubditos omnium conſenſu tribuitur principi, id quod exercet tam in juſtitiæ adminiſtratione, pœnarumque executione *§. 35.* quam ſi id alia neceſſitas reipubl. urgeat. Quæritur hinc, an innocens hoſti dedi poſſit? Negat Bœclerus *ad Gr. p. 94. ſeq.* rectius affirmatur cum Kulpiſio *ad Gr. l. II. c. 25.* Conring. *de dom. em. S. Pot. Civ. §. 55.* ubi variæ rationes. Satius enim eſt unum perire, cum aliter civitas eluctari non poſſit. Magis ergo obſides dari poſſunt ſubditi, perſona enim ſua quisque æque reipubl. ſubvenire debet ac bonis ſuis Schilter *de J. Obſidum imprimis c. 2. §. 3. ſeq.* Unde & cives armari & ad militiam cogi Pufend. *c. l. l. 2. c. 3. §. 19.* & ſi aliis militent, per avocatoria revocari poſſunt. Forſtnerus *ad Tac. Ann. XII. c. 23.*

§. XLI.

Uti jus commerciorum, ita & matrimoniorum, ita peregrinandi & migrandi s. mutandi domicilium singulis quæsitum est, quam variis vero modis & quibus ex rationibus ad securitatem atque salutem reipublicæ libera de his juribus disponendi facultas subditorum restringi possit, & plurimis in rebuspl. limitata sit. v. apud Comment. *ad Tit. Pandect. de sponsal. & Nupt.* & scriptores citatos a Forstnero *ad Tac. c. l.*

§. XLII.

In tributis esse reipublicæ nervos, nemini dubium est, nec illa, iis non illatis & solutis, conservari potest, *l. 1. §. 20. de quæst. Nov. 149. c. 2.* Tac. *Ann. XII. 50.* Barclaji *Argen. L. IV. c. 18.* Permulta enim sunt, quæ in Civitate sumptu publico facienda & expedienda. Tac. *IV. Hist. 74.* quin & magni sumptus requiruntur ad dignitatem principum conservandam. *j. §. 28. supra.* Nam *non eadem decora principibus viris & imperatori populo, quæ modicis domibus aut civitatibus.* Tac. *Ann. III. 6.* Quodcunque vero eadem sortiantur nomen, & cujuscunque generis sint, sive personis imponantur sive rebus mobilibus aut immobilibus, in territorio manentibus s. per illud transeuntibus &c. eroganda sunt ex proprio cujusvis solventis patrimonio. Quo haud incongrue referimus, quod subditi ad pecuniam mutuo dandam urgente necessitate reipubl. adigi possint. Ertl. *de J. Princ. Exc. III.* jungatur Thuanus *Hist. l. 46.* & Fam. Strada *de*

Bello

Bello Belg. Dec. I. l. 7. de Elisabetha aurum ex navibus Hispanorum ad Angliam appulsis extrahente. J. Pufendorff. *J. N. & G. l. 8. c. 5. 7.*

§. XLIII.

Qua de re tamen notari merentur prudentissima monita Ciceronis in *L. II. offic. c. 21. n. 74.* dignus videtur locus, ut totus inseratur. *Danda etiam opera est, ne (quod apud majores nostros sæpè fiebat; propter ærarii tenuitatem assiduitatemque bellorum,) tributum sit conferendum, idque ne eveniat, multo ante erit providendum, sin qua necessitas hujus muneris alicui reipublicæ obvenerit. (malo enim quam nostræ ominari, neque tamen de nostra, sed de omni republ. disputo) danda erit opera, ut omnes intelligant (si salvi esse velint) necessitati esse parendum. Atque etiam omnes, qui rempl. gubernabunt, consulere debebunt, ut earum rerum copia sit, quæ sunt necessariæ seqq.*

§. XLIV.

In obsidionibus ædes dejiciuntur in suburbiis, & arbores evelluntur, ne hosti emolumento sint, quin & terræ tractus vastatur jure, si aliter hostis a republ. arceri non potest Pufend. *c. l.* Nec territorium nec jura ei annexa Imperantes alienare aut oppignorare possunt, officium enim eorum consistit in munere conservandi rempubl. non autem servat, sed perdit, qui eam vel partem ejus in alium transfert; sed facile liquet, datam iis quoque esse alienandi facultatem, si respubl. aliter salva conservari non possit, forte si pax alias ab hoste obtineri non potest, Ill. D. Cocc. de *J.*

B. &

B. & P. in regno Portugall. Art: I. Q. I. Quæ tamen alienandi poteſtas exactius examen poſtulat, quod præſentis inſtituti non eſt. Rationes, propter quas ſalus reipubl. poteſtatem principum in jus quæſitum ſubditorum urgeat, ex allatis exemplis ſatis apparent. Plura ergo afferre ſuperſedemus, ne modum diſputationis academicæ excedamus.

In proverbium abiiſſe notum eſt: *Ubi deſinit Ethicus, ibi incipit ICtus.* Contrarium verius: *Ubi deſinit ICtus, ibi incipit Ethicus & fere omnino Theologus.*